

LVDOVICO
M A G N O,

Quo non Bello Major
& Armis.

QVÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 5. Martii. M. NICOLAO LIENARD *Doctore Medico & Facultatis Decano Præside.*

An Cometæ mortes & morbos portendunt?

*HOMINUM vitium est laborare mêtu vel desiderio futurorum ac proindè in ventura sollicitè inquirere, Medicorum curiosâ nimis sedulitate & acri sed inutili studio in astris & à sideribus vitæ seu valetudinis, morborum aut mortis cri-
seonque rationem, causam, ortum, ac eventum omnem repetere. Illorum ab omnibus retro sæculis variis artibus quæsita prænotio; hinc ex avium volatu anguria, ex mactatarum pecudum extis arupiscina, ex siderum aspectu Astrologia, ex
manuum lineis Chiromantia, ex vultu Physiognomonia futura eruere temerè contenderunt. Ariolandi scientia ex rebus quibuslibet obviis sumpsit omina, ex motu flammeo vario, ex spectris in prodeunte fumo conspicuis, ex superstitum cinerum
figura, ex herbarum arborumve foliis, aliisque innumeris. Olim in usu fuere nobiles Homericæ sortes & Virgilianæ; clari fuerunt somniorum interpretes; viguerunt Artes Magicæ quamplurimæ; Alectromantia quæ Galli ministerio perficiebatur;
Necromantia quæ mortuorum animas evocare nitebatur ex inferis, ut ad quæsita de rerum exitu responderent; Coscinomantia quæ divinatio est per cribrum, onomantia per nomina; ejusdem sunt generis hydromantia, Geomantia, Aëromantia &
aliæ innumeræ. Horum, credula nimis ac superstitiosa dierum morbi computatio, morborum ut & variorum in côrpore humorum dominii ex Saturni aliorumve Planetarum seu Conglobatorum astrorum pravo vel malefico influxu, qui nullus in iis
admittendus est alius à lumine, origo repetita ad prophanum vulgus ableganda; non secùs ac artes illæ omnes sive naturales sive magicæ, quas inter, nostris hisce temporibus plurimæ fraudis plenæ & ridiculæ, puellis tenellulis grata ac succi plena velut
Helenæ ad Menelaum ubera, fatuis virgunculis ineptisque mulieribus Amasiorum, importunis auliciis Regum optimorum favorem atque gratiam, Belligerantibus ipsis corpora Achillis instar ab omni tuta vulnere promittentes, cum fallacibus & igna
ris earum authoribus Cachinnis Senicis ac plausu Theatrali potius excipiendæ quam furcis flammâ & igne plectendæ, nec magis audiendi his saltem ut sibi videntur sapientiores, qui res insolitas raròque visas uti Cometas aliquid mortalibus aut ad
vitam aut ad mortem, seu ad salutem seu ad morbum portendere existimant, si quæ portenti natura est, Cometæ non sunt rei futuræ signum insolens contra naturæ ordinem apparens nihilque influunt in hæc sublunaria; si mors ac morbi ejusdem in
hoc cum cometis sortis atque conditionis sunt quid omninò naturale.*

*PORTENTIS plenæ Historiæ; timida hominum indoles fecit ut pauca ducerentur in bonis. Zoroaster ea quâ natus est die risit in futuræ præsagium scientiæ; Servio Tullio adhuc puero dormienti caput arsit in futuri splendoris argumentum;
in malis plurima habita sunt, supplicationibus & sacrificiis expiari solita; hæc inter monstra omnia, infans ore gemino cum dentibus binis & barba, quatuor oculis & duabus auriculis brevissimis; serpens ex muliere natus, porcus huma-
no capite, puella biceps, anguis jubatus, anguis quadrupes. Narrant & in arboribus fruges natas, ex duabus alteram; laurum ex mediis ignibus inviolatam, sunt & multò magis incredibilia. Infans in utero matris clamavit Jo triumphe,
ex muliere vir factus; Bos, canis, asinus loquuti sunt, cruenta fluxerunt flumina, arsit mare, volitarunt saxa, sudarunt statuæ; carne, lacte, sanguine, lapidibus pluit; in agro Mutinensi duo montes inter se concurrerunt crepitu maximo
assultantes recedentesque, inter eos flammâ fumoque in cælum exeunte; hæc & similia prope infinita recensent in terris prodigia. In cælis etiam non pauca numerantur, armorum strepitus auditi, tonitrua aëre puro, spectra varia deprehensa,
hastæ militares ardentes, dimicantes acies, classis species, ardentes faces, igneæ trabes, halones, parhelia. Isthæc inter cœlestia portenta celebres Cometæ, quos nunquam impuné visos affirmant, semperque cladem aliquam, strages, cædes, bella
pestes, famem, mortem multorum hominum aut morbos plurimos portendisse asserunt.*

*STELLARUM crinitarum specie conspiciuntur in cœlo Cometæ, unde illis nomen, si crines in orbem æquabiliter circa stellam dispersi, quia sol ei ferè opponitur, criniti, si in longum insigni prolixitate fusi, barbati aut caudati appellantur
sole in quocunque alio ad Cometam aspectu situque posito, radiis stellæ tantum hanc cœli partem respicientibus quæ soli opponitur; Barbati cum crines stellam præcedunt & prius oriuntur, ad eamque cœli partem vibrantur radii, quò Cometa
proprio sibi motu videtur ferri; Caudati cum sequuntur stellam & post ipsam occidunt, ad eamque cœli partem expanduntur radii, à qua proprio sibi motu videtur Cometa deflectere. Quamcumque formam induant cum suis crinibus neutiquam
corpori stellæ adhærentibus, sed per varias luminis radiorumque solis à stella reflexorum refractiones ibidem cum ea loci apparentibus, non sunt exhalationes calidæ siccæ supra aërem evectæ ibique accensæ; omnes supra lunam imò supra Saturnum ip-
sum positi quò halitus terreni non perveniunt, eorum Parallaxis aut nulla aut Lunæ ac Saturni minor: ex concrescente aura ætheriâ non gignuntur, non ex inspissatis firmamenti partibus quæ solis lucem remittant ac proinde luceant; non sunt frustula
è solari massa decerpta; non quædam è majoribus ejus maculis quas eructet, non plurimarum stellularum, quæ cerni propter incredibilem parvitatem habitâ distantiæ à terra ratione, nisi Galilæi perspiciliorum ope hactenus non potuerint, congeries
instar Galaxiæ; dum apparere incipiunt non sunt recens geniti, non pereunt cum evanescunt; sidera sunt fixa primum, deinde errantia sui generis mundo coæva, olim proprio lumine postea alieno lucentia utpotè suo dimota loco, maculis quibusdam
crassioribus convestita, propiusque ad solem accedentia, quæ nec contra naturæ ordinem apparent, nec ullius rei futuræ signa sunt, non proinde mortis aut morborum qui suam omnem causam aliunde ex eodem cum Cometis ipsis naturæ penu & ex rerum
variarum concursu vario repetunt; nec Cometæ quatenùs astra quicquam influunt in hæc sublunaria, cum astrorum influxus ac ea quæ inde manat Chaldæorum Astrologorum futilis scientia, nullis fundata principiis, nullis firmata sufficientibus experi-
mentis ac observationibus, quæ ad eosdem siderum positus, unde iidem manent effectus, plura postulat sæculorum millia, prorsus sit omni sannâ excipienda.*

*IN Universo triplicis sunt generis Sydera, fixa è quorum numero Sol; errantia seu Planetæ quos inter nostra Tellus; Cometæ plures non unus tantùm post annorum seriem recurrens. Omnia hæc corpora intra naturæ leges suos habent in im-
menso Æthere motus. Sydera fixa suo sunt affixa loco, non eidem solido Cœlo, à se invicem plurimùm distant secundum omne dimensionis genus. Unumquodque suum habet fluidum orbem in cujus centro ponitur, dum inibi circa suum volvitur
axem & proprium orbem & Planetas si qui sint circumducit. In horum albo recensetur Syrius ardens, Canis vulgò dictus cordatioribus Medicis spernendus, quòd frustrà timidi Canis instar latret nec quemquam mordeat, sub quo ut & ante
non ita reformidandæ purgationes, ut nec Solstitiorum temporibus, etsi non idem prorsùs judicium de utroque Æquinoctio saltem apud causarios homines sit faciendum. Planetæ, Telluri in omnibus ferè congeneres reflexâ omnes Solis luce fulgent;
circa Solem sub Zodiaco moventur, non tamen eodem tempore motum absolvunt, Soli propiores citiùs, remotiores tardiùs. Terræ motus annuus est; ut in Tellure sic in Marte & Venere observatur peculiaris motus circa axem proprium, hic Terræ
motus diurnus appellatur; tertius est inclinationis, quo Poli ejus ab Eclypticæ Polis recedunt & mundi Polis perpetuò obvertuntur, hic ferè annuus est, nec præcisè tamen annuum assequitur. A motu diurno diei & noctis vices; ob annuum Sol duodecim
videtur percurrere Zodiaci signa; à motu inclinationis pendet tempestatum diversitas & Æquinoctiorum præcessio. Cometæ Planetis non multùm absimiles nisi crinibus & itinere quod in Cœlo sequuntur, Isti moventur semper sub Zodiaco intra Tro-
picos nec orbem sui Syderis solisve cujus sunt deserunt unquam, illi sæpè ultra Tropicos recto forsan itinere ab uno orbe in alium migrant. Nobis apparent cum Solis orbem ingrediuntur nec ejus occultantur radiis, evanescunt cum egrediuntur &
in alium transeunt. Ut Planetarum occursus & oppositiones ita Cometarum adventus certò prædiceretur, si, quod impossibile est, omnium stellarum fixarum orbes omniumque totius Universi corporum situs & motus cognoscerentur.*

*A COMETIS nibil metuendum Principibus neque Plebeiis. Cuinam mundi plagæ caput aut caudam obverterint nullius interest, eos certis quibusdam in Cœli signis magis timendos temerè dicitur. Fati naturalis legibus acti suam eunt viam,
nec præsentium malorum causæ nec impendentium signa. Si quandoque Principum interitus, Populorum clades, Morbi Epidemii, Regnorum eversio, Urbium submersio, aut quidvis aliud calamitosum Cometas sequutum sit id casu factum. Mista den-
santur Principum & Subditorum funera, profligantur Exercitus, vastantur Regna, anni sunt steriles, fames invalescit, grassatur pestis nullis præeuntibus Cometis. Rex Invictissimus,* LUDOVICUS MAGNUS, *quo non bellò major &
armis, supremi Numinis muneribus potens ac beatus undique, belli pacisque arbiter omnibus ferè totius Europæ in se unum conjuratis Principibus ac fœdere minaci junctis solus obstitit, eorum impetus non sustinuit modò sed & repressit, ingentes
exercitus delevit terrâ marique, captivos duxit plurimos, innumeras Urbes aut diruit aut in deditionem accepit, agros vastavit, Arces expugnavit munitissimas; an ad id non fortitudo Regis divina potiùs quàm humana aut heroïca, non consum-
mata in Imperatore etiam juniori bellica peritia, quàm fortuna aut stella aliqua plus potuit? An non* LOVOYUS *parentis optimi* TELLERII *Galliæ Cancellarij proles melior, ejusque ad rem omnem bellicam adornandam salutaria consilia? an non*
COLBERTI *sagax ad comparandam, belli nervum omnem, rem pecuniariam prudentia? an non Militiæ Gallicæ ubique ad Regis Imperatoris sui paratæ obsequium, ad tranandа Flumina, ad superandum cum Cæsare suo Rhenum mira expeditaque
alacritas plus valuere, quàm ad frangendos hostes ullus Cometa? an ulla præluxerunt in Cœlo portenta insolita, ulli Cometæ, qui tot imminentia temerariis maléque memoribus hostibus mala portenderent? an non quod annô ultimô capta sine cæde
Argentina, sine sanguine, pene sine pulvere deditum Casalium, id* LUDOVICI MAXIMI *clementiæ debetur atque fœlicitati potiùs, quàm anni præcedentis Cometæ? qui si minùs desipuissent Germani, si se Iberi continuissent, utrique
à Cometa non ita vapulassent; sapiens etenim dominabitur Astris. Seu ergo præfuerint seu abfuerint Cometæ omnia pari modô eveniunt. Conspectæ novæ stellæ seu apparentes, expunctæ seu evanescentes veteres nullum pariter malum præsagiunt.
Potest fixum Sydus obductis maculis conspectum fugere, iisdem deletis atque obliteratis repentè lucere, utrumque juxta naturæ leges; Easdem sequuntur Lunæ Solisque defectus, Halones, Igneæ Trabes, Parhelia. Cætera prodigia, aut fictitia,
aut naturales effectus, aut monstra, quæ dementiâ solùm & stupore vulgi portenta credita sunt. Ejus est homo indolis in hoc cæteris animantibus infœlicior, ut propriis malis quasi non contentus extranea sibi ascis-
cat, in Cometis cæterisque rebus à periculo morte & morbo vacuis stultè quærit quod metuat.*

Ergò Cometæ mortes & morbos non portendunt.

Asserebat Parisiis JOANNES POISSON *Parisinus Baccalaureus Medicus A. R. S. H. 1682.*



LVDOVICVS XIIII. DEI GRA. FRANCIÆ. ET NAVARRÆ REX CHRISTIANISSIMVS.
OFFEREBAT HVMILLIMVS SVBDITVS IOANNES POISSON. B. M.
L. Cossin ad vivum
Ping. et sculp. cum Pri. Regis. 1682.

1347

LVDOVICO MAGNO,

Quo non Bello Major & Armis.

QVÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 5. Martii. M. NICOLAO LIENARD Doctore Medico & Facultatis Decano Præſide.

An Cometæ mortes & morbos portendunt?

HOMINUM vitium eſt laborare mêtu vel deſiderio futurorum ac proindè in ventura ſollicitè inquirere, Medicorum curioſâ nimis ſedulitate & acri ſed inutili ſtudio in aſtris & à ſideribus vitæ ſeu valetudinis, morborum aut mortis criſeonque rationem, cauſam, ortum, ac eventum omnem repetere. Illorum ab omnibus retro ſæculis variis artibus quæſita prænotio; hinc ex avium volatu auguria, ex mactatarum pecudum extis arupiſcina, ex ſiderum aſpectu Aſtrologia, ex manuum lineis Chiromantia, ex vultu Phyſiognomonia futura eruere temerè contenderunt. Ariolandi ſcientia ex rebus quibuſlibet obviis ſumpſit omina, ex motu flammeo vario, ex ſpectris in prodeunte fumo conſpicuis, ex ſuperſtitum cinerum figura, ex herbarum arborumve foliis, aliiſque innumeris. Olim in uſu fuere nobiles Homericæ ſortes & Virgilianæ; clari fuerunt ſomniorum interpretes; viguerunt Artes Magicæ quamplurimæ; Alectromantia quæ Galli miniſterio perficiebatur; Necromantia quæ mortuorum animas evocare nitebatur ex inferis, ut ad quæſita de rerum exitu reſponderent; Coſcinomantia quæ divinatio eſt per cribrum, onomantia per nomina; ejuſdem ſunt generis hydromantia, Geomantia, Aëromantia & aliæ innumeræ. Horum, credula nimis ac ſuperſtitioſa dierum morbi computatio, morborum ut & variorum in côrpore humorum dominii ex Saturni aliorumve Planetarum ſeu Conglobatorum aſtrorum pravo vel malefico influxu, qui nullus in iis admittendus eſt alius à lumine, origo repetita ad prophanum vulgus ableganda; non ſecùs ac artes illæ omnes ſive naturales ſive magicæ, quas inter, noſtris hiſce temporibus plurimæ fraudis plenæ & ridiculæ, puellis tenellulis grata ac ſucci plena velut Helenæ ad Menelaum ubera, fatuis virgunculis ineptiſque mulieribus Amaſiorum, importunis auliciis Regum optimorum favorem atque gratiam, Belligerantibus ipſis corpora Achillis inſtar ab omni tuta vulnere promittentes, cum fallacibus & ignaris earum authoribus Cachinnis Senicis ac plauſu Theatrali potius excipiendæ quam furcis flammâ & igne plectendæ, nec magis audiendi his ſaltem ut ſibi videntur ſapientiores, qui res inſolitas raròque viſas uti Cometas aliquid mortalibus aut ad vitam aut ad mortem, ſeu ad ſalutem ſeu ad morbum portendere exiſtimant, ſi quæ portenti natura eſt, Cometæ non ſunt rei futuræ ſignum inſolens contra naturæ ordinem apparens nihilque influunt in hæc ſublunaria; ſi mors ac morbi ejuſdem in hoc cum cometis ſortis atque conditionis ſunt quid omninò naturale.

PORTENTIS plenæ Hiſtoriæ; timida hominum indoles fecit ut pauca ducerentur in bonis. Zeroaſter ea quâ natus eſt die riſit in futuræ præſagium ſcientiæ; Servio Tullio adhuc puero dormienti caput arſit in futuri ſplendoris argumentum; in malis plurima habita ſunt, ſupplicationibus & ſacrificiis expiari ſolita; hæc inter monſtra omnia, infans ore gemino cum dentibus binis & barba, quatuor oculis & duabus auriculis breviſſimis; ſerpens ex muliere natus, porcus humano capite, puella biceps, anguis jubatus, anguis quadrupes. Narrant & in arboribus fruges natas, ex duabus alteram; laurum ex mediis ignibus inviolatam, ſunt & multò magis incredibilia. Infans in utero matris clamavit Jo triumphe, ex muliere vir factus; Bos, canis, aſinus loquuti ſunt, cruenta fluxerunt flumina, arſit mare, volitarunt ſaxa, ſudarunt ſtatuæ; carne, lacte, ſanguine, lapidibus pluit; in agro Mutinenſi duo montes inter ſe concurrerunt crepitu maximo aſſultantes recedenteſque, inter eos flammâ fumoque in cælum exeunte; hæc & ſimilia prope infiniti recenſent in terris prodigia. In cælis etiam non pauca numerantur, armorum ſtrepitus auditi, tonitrua aëre puro, ſpectra varia deprehenſa, haſtæ militares ardentes, dimicantes acies, claſſis ſpecies, ardentes faces, igneæ trabes, halones, parbelia. Iſthæc inter cœleſtia portenta celebres Cometæ, quos nunquam impunè viſos affirmant, ſemperque cladem aliquam, ſtrages, cædes, bella peſtes, famem, mortem multorum hominum aut morbos plurimos portendiſſe aſſerunt.

STELLARUM crinitarum ſpecie conſpiciuntur in cælo Cometæ, unde illis nomen, ſi crines in orbem æquabiliter circa ſtellam diſperſi, quia ſol ei ferè opponitur, criniti, ſi in longum inſigni prolixitate fuſi, barbati aut caudati appellantur ſole in quocunque alio ad Cometam aſpectu ſituque poſito, radiis ſtellæ tantum hanc cœli partem reſpicientibus quæ ſoli opponitur; Barbati cum crines ſtellam præcedunt & prius oriuntur, ad eamque cœli partem vibrantur radii, quò Cometa proprio ſibi motu videtur ferri; Caudati cum ſequuntur ſtellam & poſt ipſam occidunt, ad eamque cœli partem expanduntur radii, à qua proprio ſibi motu videtur Cometa deflectere. Quamcumque formam induant cum ſuis crinibus neutiquam corpori ſtellæ adhærentibus, ſed per varias luminis radiorumque ſolis à ſtella reflexorum refractiones ibidem cum ea loci apparentibus, non ſunt exhalationes calidæ ſiccæ ſupra aërem evectæ ibique accenſæ; omnes ſupra lunam imò ſupra Saturnum ipſum poſiti quò halitus terreni non perveniunt, eorum Parallaxis aut nulla aut Lunæ ac Saturni minor: ex concreſcente aura ætheriâ non gignuntur, non ex inſpiſſatis firmamenti partibus quæ ſolis lucem remittant ac proinde luceant; non ſunt fruſtula è ſolari maſſa decerpta; non quædam è majoribus ejus maculis quas eructet, non plurimarum ſtellularum, quæ cerni propter incredibilem parvitatem habitâ diſtantiæ à terra ratione, niſi Galilæi perſpiciliorum ope hactenus non potuerint, congeries inſtar Galaxiæ; dum apparere incipiunt non ſunt recens geniti, non pereunt cum evaneſcunt; ſidera ſunt fixa primum, deinde errantia ſui generis mundo coæva, olim proprio lumine poſtea alieno lucentia utpotè ſuo dimota loco, maculis quibuſdam craſſioribus conveſtita, propiuſque ad ſolem accedentia, quæ nec contra naturæ ordinem apparent, nec ullius rei futuræ ſigna ſunt, non proinde mortis aut morborum qui ſuam omnem cauſam aliunde ex eodem cum Cometis ipſis naturæ penu & ex rerum variarum concurſu vario repetunt; nec Cometæ quatenùs aſtra quicquam influunt in hæc ſublunaria, cum aſtrorum influxus ac ea quæ inde manat Chaldæorum Aſtrologorum futilis ſcientia, nullis fundata principiis, nullis firmata ſufficientibus experimentis ac obſervationibus, quæ ad eoſdem ſiderum poſitus, unde iidem manent effectus, plura poſtulat ſæculorum millia, prorſus ſit omni ſannâ excipienda.

IN Univerſo triplicis ſunt generis Sydera, fixa è quorum numero Sol; errantia ſeu Planetæ quos inter noſtra Tellus; Cometæ plures non unus tantùm poſt annorum ſeriem recurrens. Omnia hæc corpora intra naturæ leges ſuos habent in immenſo Æthere motus. Sydera fixa ſuo ſunt affixa loco, non eidem ſolido Cœlo, à ſe invicem plurimùm diſtant ſecundum omne dimenſionis genus. Unumquodque ſuum habet fluidum orbem in cujus centro ponitur, dum inibi circa ſuum volvitur axem & proprium orbem & Planetas ſi qui ſint circumducit. In horum albo recenſetur Syrius ardens, Canis vulgò dictus cordatioribus Medicis ſpernendus, quòd fruſtrà timidi Canis inſtar latret nec quemquam mordeat, ſub quo ut & ante non ita reformidandæ purgationes, ut nec Solſtitiorum temporibus, etſi non idem prorsùs judicium de utroque Æquinoctio ſaltem apud cauſarios homines ſit faciendum. Planetæ, Telluri in omnibus ferè congeneres reflexâ omnes Solis luce fulgent; circa Solem ſub Zodiaco moventur, non tamen eodem tempore motum abſolvunt, Soli propiores citiùs, remotiores tardiùs. Terræ motus annuus eſt; ut in Tellure ſic in Marte & Venere obſervatur peculiaris motus circa axem proprium, hic Terræ motus diurnus appellatur; tertius eſt inclinationis, quo Poli ejus ab Eclypticæ Polis recedunt & mundi Polis perpetuò obvertuntur, hic ferè annuus eſt, nec præciſè tamen annuum aſſequitur. A motu diurno diei & noctis vices; ob annuum Sol duodecim videtur percurrere Zodiaci ſigna; à motu inclinationis pendet tempeſtatum diverſitas & Æquinoctiorum præceſſio. Cometæ Planetis non multùm abſimiles niſi crinibus & itinere quod in Cœlo ſequuntur, Iſti moventur ſemper ſub Zodiaco intra Tropicos nec orbem ſui Syderis ſoliſve cujus ſunt deſerunt unquam, illi ſæpè ultra Tropicos recto forſan itinere ab uno orbe in alium migrant. Nobis apparent cum Solis orbem ingrediuntur nec ejus occultantur radiis, evaneſcunt cum egrediuntur & in alium tranſeunt. Ut Planetarum occurſus & oppoſitiones ita Cometarum adventus certò prædiceretur, ſi, quod impoſſibile eſt, omnium Stellarum fixarum orbes omniumque totius Univerſi corporum ſitus & motus cognoſcerentur.

A COMETIS nihil metuendum Principibus neque Plebeiis. Cuinam mundi plagæ caput aut caudam obverterint nullius intereſt, eos certis quibuſdam in Cœli ſignis magis timendos temerè dicitur. Fati naturalis legibus acti ſuam eunt viam, nec præſentium malorum cauſæ nec impendentium ſigna. Si quandoque Principum interitus, Populorum clades, Morbi Epidemii, Regnorum everſio, Urbium ſubmerſio, aut quidvis aliud calamitoſum Cometas ſequutum ſit id caſu factum. Miſta denſantur Principum & Subditorum funera, profligantur Exercitus, vaſtantur Regna, anni ſunt ſteriles, fames invaleſcit, graſſatur peſtis nullis præeuntibus Cometis. Rex Invictiſſimus, LUDOVICUS MAGNUS, quo non bellô major & armis, ſupremi Numinis muneribus potens ac beatus undique, belli paciſque arbiter omnibus ferè totius Europæ in ſe unum conjuratis Principibus ac fœdere minaci junctis ſolus obſtitit, eorum impetus non ſuſtinuit modò ſed & repreſſit, ingentes exercitus delevit terrâ marique, captivos duxit plurimos, innumeras Urbes aut diruit aut in deditionem accepit, agros vaſtavit, Arces expugnavit munitiſſimas; an ad id non fortitudo Regis divina potiùs quàm humana aut heroïca, non conſummata in Imperatore etiam juniori bellica peritia, quàm fortuna aut Stella aliqua plus potuit? An non LOVOYUS parentis optimi TELLERII Galliæ Cancellarij proles melior, ejuſque ad rem omnem bellicam adornandam ſalutaria conſilia? an non COLBERTI ſagax ad comparandam, belli nervum omnem, rem pecuniariam prudentia? an non Militiæ Gallicæ ubique ad Regis Imperatoris ſui paratæ obſequium, ad tranandа Flumina, ad ſuperandum cum Cæſare ſuo Rhenum mira expeditaque alacritas plus valuere, quàm ad frangendos hoſtes ullus Cometa? an ulla præluxerunt in Cœlo portenta inſolita, ulli Cometæ, qui tot imminentia temerariis maléque memoribus hoſtibus mala portenderent? an non quod annô ultimô capta ſine cæde Argentina, ſine ſanguine, pene ſine pulvere deditum Caſalium, id LUDOVICI MAXIMI clementiæ debetur atque fœlicitati potiùs, quàm anni præcedentis Cometæ? qui ſi minùs deſipuiſſent Germani, ſi ſe Iberi continuiſſent, utrique à Cometa non ita vapulaſſent; ſapiens etenim dominabitur Aſtris. Seu ergo præfuerint ſeu abfuerint Cometæ omnia pari modô eveniunt. Conſpectæ novæ ſtellæ ſeu apparentes, expunctæ ſeu evaneſcentes veteres nullum pariter malum præſagiunt. Poteſt fixum Sydus obductis maculis conſpectum fugere, iiſdem deletis atque obliteratis repentè lucere, utrumque juxta naturæ leges; Eaſdem ſequuntur Lunæ Soliſque defectus, Halones, Igneæ Trabes, Parhelia. Cætera prodigia, aut fictitia, aut naturales effectus, aut monſtra, quæ dementiâ ſolùm & ſtupore vulgi portenta credita ſunt. Ejus eſt homo indolis in hoc cæteris animantibus infœlicior, ut propriis malis quaſi non contentus extranea ſibi aſciſcat, in Cometis cæteriſque rebus à periculo morte & morbo vacuis ſtultè quærit quod metuat.

Ergò Cometæ mortes & morbos non portendunt.

Aſſerebat Pariſiis JOANNES POISSON *Pariſinus Baccalaureus Medicus A. R. S. H. 1682.*